

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XL.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

tam fatalibus calamitatibus. Comitia gaudeo procedere, quia spero aliquos rerum progressus ad religionis propagationem, maximè quando Cæsar non satis pacata habet erga se Pontificis studia. Juravit ille, se aut moriturum aut Hispanos semel omnes Italia exturbaturum. Furit idem in sanctos horribiliter. Comburendos enim curavit Romæ undecim propter Christi professionem, & quinque demergendos in Tyberim. Lucæ sævit proscriptionibus & confiscationibus bonorum in eos, qui vel levi suspitione Luterismi tanguntur. Ut quartus Julius non tantum mundi principibus ad exemplum secundi, sed Deo ipsi bellum indixerit. Hæc sola nunc habui, mi observande Marpachi, quæ scriberem. Commendo autem simul fratrem præsentium latorem. Homo est non malus, quiq; duci possit, maximè à tam seriâ castigatione erroris potius & incogitantia, quam malitiæ. Bene vale cum D. Lud. Rabo & reliquis, quos cupio reverenter meis verbis salutes. Basil. 5. Augusti Anno 1556.

*Tuus totus*

Sulcerus.

XL.

*S. D. Carissime Frater.*

**M**eministi dulcissimam vocem: Circumvallât Angelus Domini timentes eum. Hic Angelus Filius ipse DEI æterni Patris, & te & tuam domesticam Ecclesiam proteget, & texit hæcenus. Sæpe aspiciens meas parvas filioas, & gravidam filiam, cogito, ut vagantibus in Judæa petulantissimis militibus, Syriacis, Ægyptiis, Arabicis, Parthicis, tamen DEUS texit Mariam, sororem ejus, & multas forma, sapientia, virtute præstantes, cum præsidia humana nulla haberent; ita & nunc Ecclesiæ reliquias in his nostris exiliis & miseris custodiri, cum quidem his turbulentis temporibus tueri nos leges politicæ non possint. Tuas literas avidè expecto & flagito. Post Baltici Gorgiæ ἀστέγειαν καὶ σοφιστικαίαν nunc senex Italus, Stancarus, nos tumultus excitat. Contendit, Christum tantum humanâ naturâ Mediatorem esse, καὶ ἔχει ἄλλως πρὸς κερφαλορίας. Hæc de ipso ad Electorem Marchicum scripsimus. Sed me ab his rixis brevi mors liberabit. Prius tamen colloqui tecum cupio. Et non despero colloquium. Nunc retineor novi belli Saxonici initio, quod adhuc est Μυομαχία. Sed metuo majores motus. Comes Mansfeldensis, Alberti filius, indixit bellum Episcopo Magdeburgensi, Bene vale & rescribe. Die 5. Octobris, Anno 1556.

H 2

*Inscriptio:*

*Inscriptio.*

*Viro optimo, D. Francisco Dryandro, Fratri suo carissimo,  
Augusta vel Argentorati.*

Philippus.

## XLI.

**G**Ratiam & pacem à DEO Patre Domini nostri Jesu Christi. Reverendi Viri, Eruditione & virtute præstantes, Fratres in Domino observandi. Quanquam vobis omnibus nec consultis nec monitis discessi, (quod factum & ingratitudinis & contumaciæ posset accusari) tamen excusatione mea apud vos non opus esse plane mihi persuasi: partim quod animum meum in communi nostra causa omnes probè cognovistis, partim quod non dubito, causas mei tam inopinati discessus jam vobis per senatores innotuisse. Habenda mihi fuit ratio (optimi fratres) & autoritatis & officii mei. Ne ergo publicando propositum meum occasionem darem tumultus, omnia hæc semotis arbitris coram inelyto senatu transigere volui. Si quid autem à me hac in parte contra vos actum est, officiose, ut id condoneris, rogo. Ero in vos & erga vestrum ministerium affectus semper eo modo, quo fui hæctenus: Nec dubito de vestro quoque erga me candore & amore. Ceterum reverenter universum collegium & Ecclesiasticum conventum vestrum rogo & oro, ut pro vestra humanitate non denegeris testimonium meæ & doctrinæ & vitæ, per illud tempus, quo ego vobiscum fui, ultra annos undecim. Facietis hac in parte officium vobis dignissimum & mihi gratissimum. Et contenderem hoc quidem à vobis pluribus verbis, si de vestro erga me studio dubitarem. Quod si vestris personis, vestræ Ecclesiæ, & universo ministerio aliqua in re gratificari potero; habebitis me per omnia obedientem paratum & promptum. Bene valete, Reverendi Viri & Fratres in Domino observandi, petitionis meæ memores. Qualis jam sit rerum mearum status, exposuisssem libenter: Faciam autem hoc proximo nuncio, cum omnia ad plenum transacta fuerint. Dominus vestro ministerio Spiritu suo sancto clementer adsit. Ego me præcibus vestris commendo. Datum Ulmæ, 27. Novembris, Anno 1556.

*Inscriptio:*

*Reverendis, eruditione, pietate & virtute præstantibus viris,  
Dominii Pastoribus & Diaconis Ecclesiæ Christi, quæ est in  
inelyta Argentinâ. Dominis amicis & fratribus observandis.*

*Vestra dignitatis Studiosus*

Ludov. Rabus, Eccles. Ulmenf. Superintendens.

XLII. S-